



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||**

**Francisco <de Javier>**

**Mogvntiæ, 1600**

**VD16 J 197**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43721**

neagnoscendæ, & omnino exequendæ facultatem. Idem cæteros socios oratos volo, XIX. Kal. Febr. M. D. XLIX. Cocini.

*Eidem. Epist. X.*

*Gratia & caritas Iesu Christi, Dom. N. sit nobiscum semper. Amen. Pater mi in Christi visceribus vnice.*

**T**RINAS ad te dedi literas eodem fere exemplo, fulissime autem scriptas M. Simoni commendavi. Antonius Criminalis in Comorino Promontorio, cū sex aliis è Societate, versatur. Enimvero is, mihi crede, vir sanctus est, & ad has terras excolendas natus, eius similes, quorum istic magna est copia, plurimos huc mittas velim. Ei Comorinenses socij parent. Idem Christianis indigenis, Ethnicis, ac Saracenis est mirifice carus. A Sociis quibus præest, quantopere diligatur, dici vix potest. P. Cyprianus affecta iam ætate in Socotoram insulam proficiscitur. Discessurus est exeunte Ianuario, ducet secum tres è Societate, sacerdotem vnum, reliquos adiutores. Socotora insula est in circuitu millia passuum ferme centum. tota ab eiusmodi incolitur Christianis, qui multis ab hinc annis, Catholicis orbatī sacerdotibus Christiani nihil habent præter nomen. Ferunt se ortos ab iis, quos S. Thomas Aposto-

I 5            lus

*Antonij  
Criminalis  
sanctitas.*

lus Christianos fecit. In spem venio fore, vt Cypriani, & sociorum opera, se ad bonā recipiant frugem. Ea insula valde inops est à frugibus, & alimentis, eademq; satis aspera, & ærumnosa. Eò tamen Cypria. iam sexagenarius libentissime transmittit, confidens egregiam se ibi operam DEO nauare posse, & simul expiare delicta iuuentutis suæ. Et quanquam initio affectam iam ætatem minime patiētem laborum excusabat; mox tamen professus est se, si opus esset, haud grauate iturum. Nicolaus Lancellotus etsi valetudinarius, nunc tamen melius habet, versaturq; Colani, quod oppidum est salubri cœlo millia passuum à Cocino circiter LXXX. ibi instituendo Societatis collegio præest. Ac sane multa his locis Societatis domicilia excitarentur si M. Simon (vt ad te antea scripsi) cum magna ab Rege autoritate missus non paruam huc adduceret sociorum manum, ex quorum numero sex septemue cōcionatores essent, complures confessionibus excipiendis, tradendis piis meditationibus, Ethnicis ad Christi fidem adiungendis idonei, viri omnes plane moderati, ac rerum periti. Scripsi etiam ad Regem de M. Simone, vt eum cum potestate mittat, non modo inchoandi collegia, sed etiam fauendi indigenis Christianis, atque Ethnicis, quos ad Christum quātuluscunq; aggregaret fauor.

Mitto

Mitto ad te Iaponicarum literarum notas. Iapones quippe ab aliis in scribendi ratione differunt plurimum. Nam à summo orsi directo ad ima descendunt. Quærenti mihi ex Paulo Iapone, cur nostro more non scriberent? Quin vos, inquit ille, potius more nostro? Etenim ut hominis caput summum est, pedes imi, sic par est, homines cum scribunt, à summo deorsum directo ferri. Descriptionem item Iaponiæ, & morum illius gentis à Paulo summæ religionis, ac fidei viro acceptam tibi mitto. Post duos menses ego cum P. Cosmo Turriano, Paulo & aliis Iaponibus duobus solvam (si DEO cordi erit) in Iaponiam. Inde quid eorum literis continetur, ad te perscribam. Nam ex Paulo homine idiota cognoscere non potui, quod nunquam attigerit Iaponica literarum monumenta, quæ (similiter, ut apud nos libri scripti Latine) aliena quasi quadam lingua loquuntur. IESVS Dominus noster doceat nos facere voluntatem suam, & huius vitæ laboribus perfunctos ad beatam illam æternamque transferat sedem. Amen. XIX. Kalen. Febr. Cocini.

*M. Simoni Roderico in Lusitaniam.*

*Epist. XI.*

*Gratia & caritas Christi D. N. sit  
nobiscum semper. Amen.*

NVLLIS